

1273 April 15.

[20]

Die Deutschordenskommende Dotmarum pachtet von dem Stifte Breden  
eine Hufe in Stockum.

Ebertus commendator ceterique fratres de Otmershem domus Teutonice universis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in Domino sempiternam. Notum esse volumus universis presentem paginam intuentibus et eisdem protestamur, quod mansum Luppine nuncupatum in villa Stochem situm, quem Wenemarus de Stochem ab ecclesia Frethenensi quondam habuit in pensione hereditaria, noster confrater Hinricus de Espelo nomine dicte domus nostre a . . preposita, . . decana totoque conventu dicte ecclesie pro certa recepit pensione perpetuo possidendum, scilicet quatuor solidis Davantriensis monete, quos annuatim in dominico die proximo post diem beati Bartholomei apostoli apud Frethene preposite nostris laboribus et expensis persolvemus. Cum vero dictus H[inricus] noster confrater debitum carnis subierit, alter noster confrater, qui ad hoc deputatus fuerit, dictum mansum ab eadem ecclesia eodem iure recipiet et de receptione presentabit dicte ecclesie octo solidos Davantriensis monete et sic de succendentibus in perpetuum. Huius rei testes sunt Ebertus commendator prenominatus, Frethericus de Arneth suus confrater, Johannes et Thimo (?) sacerdotes, Th. scolasticus, Hinricus de Willen miles, Philippus et Mauricius. In cuius rei testimonium dicte ecclesie presens scriptum sigilli nostri munime tradidimus robورatum. Datum XVII Kal. Maii anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXX<sup>o</sup> tercio.

Orig. z. T. zerstört. Siegel ab; Lade 217, 1 Nr. 10. — Kopiar fol. 23.